AUTHOR:

GRUBER, JOHANNES VON

TITLE:

DE DIVERSA A ROMANIS NOSTRA RATIONE...

PLACE:

STRALSUND

DATE:

1854

Master Negative #
93-81316-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

877.52 Gruber, Johannes von, 1807-1875.
Z6
v.2 De diversa a Romanis nostra ratione utendi nominibus, verbis, particulis. Stralsund, 1854.
10 p. 23 cm.

Einladungsschrift, Gymnasium zu Stralsund, 1854
Volume of pamphlets

8
Box 52 Another copy.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 12x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 4-23-93 INITIALS MLY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Gymnasium zu Stralsund. 1854.

EINLADUNG

zur öffentlichen

Prüfung und Redeübung

der hiesigen Zöglinge

am 28. und 29. September d. J.

von dem

Director u. Lehrercollegium.

INHALT:

1. De diversa a Romanis nostra ratione utendi Nominibus, Verbis, Particulis, scr. J. DE GRUBER.
2. Jahresbericht.

STRALSUND.
Druck der Königl. Regierungs-Buchdruckerei.

DE LOCIS QUIBUSDAM
ad institutionem grammaticam pertinentibus,
maxime
de diversa a Romanis nostra ratione utendi
Nominibus, Verbis, Particulis.

Oblata mihi hac occasione scribendi utar ad exponendam rem per se quidem satis luculentam, quae tamen non pro sua gravitate a discipulis aestimata ideoque saepe neglecta videatur, quamvis Latine scribentibus tantae sit utilitatis, ut qui eam neglexerint, satis graves poenas hujus levitatis pendere soleant. §. 1.

Haud exigua enim pars difficultatum, quibus non solum tirones, sed etiam exercitatiores tenentur, cum quando Latine scribunt vel loquuntur, continetur illa utriusque linguae diversitate, quam inscriptione significavi. Videmus Soloecismos, Germanismos, alia hujusmodi vitia admitti saepissime hanc ob causam, quod Latine scribentes nostrae linguae indolem secuti Substantivis, Adjectivis, Verbis utuntur, ubi ex Latini sermonis ratione et usu alia vocum genera, vel ut Grammatici appellant, aliae partes orationis (Redetheile), ponenda erant.

Tantum quidem abest, ut Grammatici hoc omnino non viderint, ut aliqua hujus generis praecepta etiam in iis libris proposita legantur, qui tironum in usum conscripti sunt; velut illud de Substantivis verbalibus nostrae linguae, ut Latine scribentes Participia Perfecti vel Futuri Passivi pro illis adhibeamus, alia. Sed multo latius illa diversitas patet, multoque accuratius et curiosius explicanda et exemplis illustranda est, quam fieri fere solet ab iis, qui praecepta styli Latini conformandi pueris tradunt; nec non multo maturius jam tirones admonendi sunt, ut animum ad hanc rem advertant, quam plerique existimant. Proderit hoc uno exemplo de ratione sententias conjungendi proposito demonstrasse.

In conjungendis sententiis nemo nescit Romanos saepissime Pronominibus et Adverbiis relativis §. 2.
ita uti, ut relativa vox simul Conjunctionis vim obtineat [1]). Is vero usus Relativorum non ita, ut fieri

---

[1]) **Obvia quaedam exempla frequentem hujus rei usum commonstrent: Caes. b. G. 3, 13. extr.** *Accedebat ut, quum saevire ventus coepisset et se vento dedissent (hostium naves), et tempestatem ferrent facilius et in vadis consisterent tutius et ab aestu derelictae nihil saxa et cautes timerent: quarum rerum omnium nostris navibus casus erant extimescendi* (aber all dergleichen Unfälle mußten unsere Schiffe fürchten). **Mox c. 14...** *statuit exspectandam classem. Quae ubi convenit* (als diese nun ankam). **Ibid.** *Quibus abscissis antemnae necessario concidebant* (durch deren Zerschneidung fielen nun die ...). — **Vel si evolveris Ciceronis libros, eandem inveneris frequentiam: Tusc. 1, 16, 36** *(hoc) ratione discendum est. Cujus ignoratio finxit inferos* (die Unkunde hiervon hat aber ...). **Mox ibid.** *Quam eorum opinionem varii errores consecuti sunt* (diese

debet, semper et satis accurate tironibus ob oculos ponitur, ut assuefiant, ubicunque relativam vocem legunt, interpretantes in Germanicis etiam addere Conjunctionem; immo, haud raro audiveris tirones in ejusmodi locis explicandis diserte dicere, Relativum Latinum Germanico Demonstrativo exprimendum esse, ponuntque simpliciter dort, das, ihn, ubi in Latinis *ubi*, *quod*, *quem* inveniunt.

§. 3. Peccant vero gravius, qui huic negligentiae assuefaciunt tirones, quam leviter rem intuenti visum fuerit.

Ac primum quidem hoc inde nascitur damni, quod pueri minus attendunt ad logicam, quam appellamus, rationem sententiarum; nam quae pueri in interpretando non coguntur exprimere et significare suis verbis, ea adesse et locum habere non fere animadvertunt. Cave credas puerum haec ultro vel non admonitum sentire et intelligere; tantum sentit, quantum animum advertere docetur; tantum intelligit, quantum verbis exprimere assuefactus est: at quae negligere consueverit, ea vel admonitus postea non facile inveniet. Atque haec consuetudo negligendi singularum sententiarum nexum cogitatorumque mutuam inter se rationem eo perniciosior est, quo magis inclinat animus puerilis, ut prae difficultatibus, quae singulis vocibus continentur, ad ipsas res parum attendat; id quod praeceptor etiam in discipulis aetate progressis experietur, cum quando necopinato ab iis petierit, ut Germanice enarrent argumentum capitum proxime lectorum alicujus scriptoris. Cogendi igitur pueri, ut quum primum continuas fabulas, orationes, historias legere incipiunt, ad illam rationem conjungendi totas sententias, sententiarumque partes attendant, ne quam conjunctionem conjungendive rationem praetermittant vel parum gravem existiment; nam hoc nihil aliud est, quam assuefacere eos, ut ipsi distincte et subtiliter cogitent, observentque vim et rationem eorum, quae vel scripta legunt, vel ipsi scribere tentant, atque

Quo semel est imbuta recens servabit odorem Testa diu.

§. 4. Alterum, quod tironibus ex neglecta parumque observata conjungendi ratione evenit detrimentum, tum apparet, quum ipsi Latine scribere incipiunt; parum enim edocti illum Latinorum usum et consuetudinem in conjungendis sententiis, plane patriae linguae rationem secuti particulis utentur, ubi hoc a proprio Latini sermonis usu prorsus alienum est.

Adde huc quod Romani etiam conjunctionem omnino omittunt, ubi voce aliqua in sententiae principio posita satis significasse videntur vel adversativam vel explicativam, vel continuativam sententiarum rationem[2]); adde quod persaepe Participiis Romani, ubi nos Conjunctionibus, utuntur: his tribus

Ansicht hatte aber ... zur Folge). Ib. 1, 17, 39. *Quam, nisi quid dicis, praetermittamus* (doch diese Beweisführung wollen wir ...). Ib. 40. *Quae quum constent* (da dies nun feststeht). Ib. V. 7, 20. *Qua ipsa non fuit contentus* (und doch war er ...). Ib. 34. 97. **Nec esuriens Ptolemaeus ederat,** *cui quum* .. **datus esset** (denn als ihm ..); **et 98: Victum Lacedaemoniorum in philitiis nonne videmus?** *Ubi quum* **tyrannus coenavisset Dionysius** (denn als daselbst ...); **cf. V. 30, 85. 28, 83. 12, 34; itemque IV. 3, 5, ubi Cic. ter hac relativa sententiarum conjunctione utitur; adde Caes. b. G. IV. 14.**

[2]) **Etiam hujus usus frequentiam cum in singulis partibus tum in totis sententiis conjungendis exemplorum delectu ex iisdem, quibus supra, Ciceronis libris facto ostendam: Tusc. 1, 5, 10** *apud quos nec te L. Crassus defendet, nec M. Antonius, nec ... poteris adhibere Demosthenem;* **tibi ipsi pro te erit ... causa dicenda** (sondern du wirst dich selbst vertheidigen müssen). **— 1, 15, 35.** *Sed quid poetas?* **Opifices** *post mortem nobilitari volunt* (auch die Künstler wollen ...). **— 1, 34, 82.** *totumque hoc leve est, qualecunque est; fit enim ad punctum temporis:* **illud** *angit vel potius excruciat, discessus ab omnibus iis, quae sunt bona in vita* (das aber quält uns.) **Apud Caesarem, qua est ille simplicitate narrandi, rariora quidem haec exempla; nec tamen omnino desunt.**

diversis a nostro sermone rationibus conjungendi sententias accuratius perpensis jam intelliges, quantum non solum diligentiae sed etiam usus et exercitationis a primo institutionis grammaticae initio opus sit, ut discipuli, ubi Germanica in Latinum convertunt, vel a se cogitata Latinis literis mandare volunt, vitioso et parum Latino genere scribendi ne utantur. Nemo autem negaverit hanc exercitationem et usum parari a discipulis non posse, nisi diuturna et diligenti et a primo tirocinio continua consuetudine ad hanc utriusque linguae diversitatem animum attendendi.

Quod si quis fortasse dixerit, non fuisse tantam tamque religiosam curam ejusmodi res docendi illis seculis, quibus viri docti Latinitate pura, propria, emendata florebant: reputet iste, quanta illo tempore fuerit virorum doctorum a prima pueritia occupatio et studium in Latinis et scribendis et legendis; quam parcus et rarus usus hoc tempore, ita ut celebre illud „Graeca sunt, non leguntur" jam etiam ad Latina transferri possit[3]); quam frequentem exercitationem scribendi et loquendi, multis scriptorum locis memoriae mandatis firmatam illi habuerint; quantum contra hac aetate temporis impendatur in res alias illis viris parum cognitas, nunquam fere tractatas, velut eas, quae ad naturalium rerum cognitionem, ad historiam, ad societatis humanae leges et rationes pertinent: neque facile quisquam negaverit, quae illi multiplici et perpetuo fere usu linguae Latinae didicerint et quasi occupaverint, ea nobis ratione, doctrina, praeceptis acquirenda et quasi in potestatem redigenda esse. §. 5.

Verum quidem est, iter per praecepta longum et difficile esse, per exempla breve et efficax; neque affirmare in animo est, eandem facilitatem et elegantiam Latine scribendi hac ratione parari, qua illi principes Latinitatis usi sint: at vero cum ipso vitae usu et consuetudine pugnare non licet praeceptoribus. Quare cum nunc quidem Latina lingua omnium doctorum hominum cujusque nationis sermo communis esse desierit; jam non licet a pueris et tironibus flagitare, ut appetant, quae viri et ipsi docti homines neque praestant, neque se appetere aut simulant aut profitentur. Quotus enim quisque editor libri alicujus classici, quem vocant, hodie Latinas adnotationes adjicit? immo videmus editiones recentissimas scriptorum Latinorum in scholarum usum paratas communi virorum doctorum consensu praeceptorumque et discipulorum cum plausu Germanicis literis illustrari. An, si qui scribunt Latine, possuntne eorum scripta lectioni discipulorum commendari, ut inde subtili elegantique Latinitatis sensu imbuantur? Quanta denique paucitas eorum, qui non dico eleganter, sed mediocriter vel sine haesitatione Latine loquantur. Quare in tanta rerum commutatione hoc saltem obtineamus et elaboremus, ut quae pueri discant, eadem perspiciant; quae memoriae impresserint, intellecta habeant; quae praecepta acceperint, eorum rationem causamque norint. Quo impetrato illud certe ex grammatica Latina emolumenti assequentur, ut ex ea simul rationem, vim, naturam universae linguae humanae cognoscant, quoniam omnium linguarum, quamvis diversae sint, fons est idem, ingenium dico humanum, mensque communis et communes cogitandi leges, ex quibus omnis usus loquendi, omnis similitudo diversissimarum linguarum nascitur. §. 6.

Jam quo longius et difficilius est iter per praecepta, eo maturius assuescenda est puerilis aetas, ut praecepta non modo inculcent memoriae, sed statim mente percipiant ususque assiduitate quasi possi- §. 7.

[3]) **Quotusquisque hodie invenitur aut theologus aut jurisconsultus aut medicus, qui per horas subsecivas Horatii odas vel Ciceronis orationes vel Livii historias pro oblectamentis tangat vel etiam tractet diligentius, vel sententias, locos, versus lectissimos memoria teneat?**

dant. At vero multum temporis meo quidem judicio hodie perditur iterata repetitione talium regularum, quarum cognitione pueri in grammaticae ipsius ratione percipienda et perspicienda parum adjuvantur, maxime multitudine regularum, quae ad casus formandos et genera Substantivorum cognoscenda pertinent; in quibus ediscendis pueri tanta copia nominum rarissimorum obruuntur, ut prae illa copia etiam usitatissima nomina ipsa parum firmiter teneant. Eandem temporis jacturam facere solent in Verbis anomalis rarissimis ediscendis. Omne hoc tempus multo utilius ac commodius sine dubio collocabis in lectione ejusmodi, quae cum accuratissima interpretatione Germanica conjuncta sit, ita ut prius quidem singulorum verborum significationes quam religiosissime teneant et exprimant, deinde vero elegantem et linguae patriae accomodatam rationem Latina interpretandi doceantur, qua posteriore cura adhibita assuefient observando, quid intersit inter utriusque sermonis naturam et indolem, atque vitabitur simul illud vitium, ut pueri purum et proprium usum linguae patriae dedoceantur pravis et barbaris elocutionibus in interpretando adhibitis.

§. 8. Quare ut exemplis rem illustrem, nunquam tironibus concedendum erit, ut in Temporibus Verbi Latini interpretandis aut solum patriae linguae usum sequantur, aut acquiescant in interpretatione ad formam Verbi Latini accommodata; nam alterutro neglecto aut assuescent parum attendere ad vim et naturam temporum Latinorum, aut languido, duro, deformi sermonis patrii genere uti. Itaque tales sententiae, qualis illa: ***Ut sementèm feceris, ita metes***, tironibus semper bis sunt interpretandae, prius: wie du die Saat gemacht haben wirst, so wirst du erndten; deinde: wie du säest, so wirst du erndten. Atque haec duplex interpretandi ratio tamdiu servanda erit, donec non solum huic duplici labori assuefacti sint discipuli, sed etiam intelligant, cur hoc ita fiat. [4]) Eadem ratione utendum, ut illi ab initio statim Verborum structuris grammaticis pro utriusque linguae ingenio uti consuescant, velut, ut Verbum ***jubendi*** nunquam non adhibita particula daß vertatur. Ergo: ***jussit aquam apportari***, er befahl, daß Wasser gebracht werde; deinde demum, er befahl Wasser zu bringen. Ubi vero passiva vox ponatur, tum ad similitudinem omnium Verborum dicendi accommodandam esse structuram sententiae subjectae. Atque haec ipsa de Verbis dicendi regula illustretur exemplo ex nostra lingua petito; monendi enim sunt pueri in his Verbis eandem mutationem fieri quam in nostro Verbo scheinen, cum sententiam: Es scheint, daß du dich fürchtest, mutamus in illam: Du scheinst dich zu fürchten. Prorsus eodem modo Latine non dicendum esse: Es wird gesagt, daß du es gethan hast, sed: Du wirst gesagt es gethan zu haben.

Hoc enim alterum est, quod nunquam non spectemus et elaboremus in grammatica institutione, ut similibus, quae analoga vocant Grammatici, ex nostra lingua petitis originem et usum illustremus eorum, quae Latinorum propria esse videntur. Cujus rei praeter illud, quod modo posuimus exemplum, etiam alterum addamus de passiva voce verborum ***invidendi***, ***parcendi***, ***cet.*** Assuescendi sunt tirones multiplici exercitatione, ut in his verbis construendis semper Germanica sententia: es wird (wurde) mir geholfen quasi pro norma utantur; quo facto facillimus et luculentissimus erit horum verborum usus: ***mihi invidetur***, ***invisum est***; ***templis parcitur***, ***parsum est***, ***cet.***

§. 9. Hactenus de tironum institutione grammatica; eadem vero ratio postea constanter tenenda in difficilioribus, ubi faciliora jam ita in promptu sunt, ut ea plerumque omittere liceat. Atqui in difficilioribus

[4]) **Neque non in Perfecto historico interpretando pueri mature jam monendi sunt, ut Imperfecto utantur ad proprium nostrae linguae usum.**

liorum locorum numero hoc potissimum referendum, a quo omnis haec disputatio profecta est, quod persaepe Latini non iisdem, quibus nos, generibus vocum sive partibus orationis utuntur. Notissimum hoc in Substantivis verbalibus abstractis, quorum locum apud Latinos tantum non semper Participia obtinent. Similis ratio est, quae vitiis locum dare solet haud raro etiam in discipulis jam majoribus natu, ubi nos dicimus: bei sorgfältiger Betrachtung der Dinge, die wunderbare Erhaltung seines Lebens; Latini in rebus diligen*ter* contemplandis, vita mi*re* servata. In quibus nunquam peccandi causa erit iis, qui assueverint ea, priusquam transferant, ad singulorum verborum naturam accommodare, id quod duplici illa, quam supra demonstravi, interpretandi ratione faciendum est. Atqui haec ipsa diversitas utriusque linguae diligenter cognita et assidue tractata fons erit uberrimus reperiendi proprias et genuinas elocutiones, si quando Latina vocabula non adsunt, quae accurate respondeant Germanicis. Nec non in grammaticis libris hoc vulgo jam docetur, quum exponitur: Pronomen *idem* significare auch vel doch, *ipse* bloß, quidam eine Art, similia. Patet vero hic usus multo latius eaque via et ratio inveniendi copiam vocabulorum propriorum multo accuratius et saepius ineunda, discipulisque demonstranda et illustranda est, quam fieri fere solet [5]); res enim tantae utilitatis est et tam saepe in usum converti potest, ut etiam in grammaticis libris huic praeceptorum generi et amplior locus et praecipua quaedam sedes sit tribuenda, quoniam major pars grammaticae cognitionis comparatione utriusque linguae commode instituta, major pars hujus comparationis continetur hac ipsa arte exprimendi singula verba alterius linguae aptis et propriis verbis alterius. Praecipuus vero fons et potissimum adjumentum et singularis exercitatio illius artis posita sunt in accuratissima interpretatione sive translatione eorum, quae legimus, nihilque aeque obstat Latine scribentibus, atque ejusmodi interpretatio Germanica, qua obvia quaeque verba sine ullo delectu arripiuntur. Nam in Latina lingua docenda nihil videtur magis contendendum et elaborandum, id quod supra demonstravimus, quam ut fundamentum ponamus omnis grammaticae cognitionis apud pueros; tenendumque illud, grammaticam rationem et doctrinam huic tenerae aetati illustrari non posse praeceptorum et regularum multitudine, sed diligentissima Latinae linguae cum patria comparatione, ex qua dilucide appareat, quae sint similia, quae dissimilia in singulorum verborum declinationumque [6]) usu. Quum igitur in rudimentis tractandis hoc maxime spectandum est, ut Casuum, Temporum, Modorum vim et rationem pueri percipiant ex perpetuo usu et exercitatione; tum in adolescentibus, qui jam aliqua harum rerum cognitione sint imbuti, illud maxime propositum habeamus, ut etiam hanc utriusque linguae diversitatem, quae altius latet, perspiciant, de qua hoc loco scribere instituimus,

[5]) **Habemus quidem praestantissimum exemplorumque lectissimorum plenum librum Naegelsbachi (Lateinische Stylistik f. Deutsche. 2. Aufl. Nürnberg 52.); is tamen in praeceptorum magis usum, quam discipulorum conscriptus est; quare commodissimum fuerit, si vir doctissimus ipse vel alius quispiam delectu facto idoneum hujus libri summarium instituerit, quod a praeceptore domesticae discipulorum curae commendetur. Permulta utilissima praecepta ejusdem generis etiam in editionibus quorundam scriptorum classicorum et in libris, quae exercitia styli dicuntur, inveniuntur, velut in M. Seyferti, quem honoris causa hic nomino, editione Laelii Ciceroniani et Palaestra. At vero in his ea praecepta dispersa ac nullo ordine disposita leguntur.**

[6]) **Declinationes hoc loco dicimus ex usu veterum grammaticorum omnem vocabulorum Latinorum ad regulas certas institutam mutationem, quae nunc tribus nominibus comprehendi solet, declinatione, conjugatione, comparatione; cujus triplicis mutationis prius formae sunt discendae, deinde singularum formarum significatio et vis, non ista vetere et trita ratione grammatica, ut pueri discant Genitivum conjungi cum Adjectivis theilnehmend, voll u. s. w., sed ex illa, quam accuratius exposui in mea Grammatica, ratione,**

cujus nunc exempla quaedam proponemus, ut utilitas hujus cognitionis demonstretur. Qua in re non id agimus, ut magna exemplorum copia allata hanc doctrinam quasi consummemus et absolvamus, sed iis praetermissis vel brevius commemoratis, quae in libris grammaticis praecipi tironibus solent, rariora tantummodo, quae puerilem aciem fere fugiunt, hic proponemus, ut juventutem incitemus ad rem accuratius expendendam et perscrutandam.

I. De Substantivis.

Maxime exercere et vexare solet Latine scribentes interpretatio nostrorum Substantivorum, praesertim cum translata vel metaphorica quaedam vis in iis insit. Romani enim quem ab omni philosophica ratione alienum habuerunt animum, eundem in Substantivis novis formandis prae se ferebant, neque ante, quam philosophorum ratio in communem vulgaremque sermonis usum penetravit, huic penuriae mederi studebant; sed quum hoc studium in eandem aetatem incideret, qua Romani a peregrinis vocibus recipiendis jam parum cavebant, res per se satis salubris et utilis speciem induit peregrinitatis et depravationis. Videndum igitur, quomodo scriptores elegantissimi Ciceronis et Augusti tempore frequentem Substantivorum usum evitarint.

Notissimum hac in re est, Latinos scriptores pro Substantivis verbalibus usos esse Participiis, maxime Perfecti et Futuri Passivi; velut in his: Scipioni propter Africam perdom*itam* (Unterwerfung Afr.) cognomen Africanus inditum; Scipio ad Africam perdom*andam* cum exercitu missus; absens damnatus est (in s. Abwesenheit); fisus, fretus viribus suis (im Vertrauen auf s. Kr.), sim. multa.

Sed praeter hanc rationem alia quoque accuratius utrumque sermonem comparanti occurrent, quae Latini haud raro in usum vocant, ubi ex nostra loquendi consuetudine Substantivis utimur.

1) Saepissime illi **Adjectivis** utuntur, ubi Substantiva vel prorsus desunt vel arctioribus finibus usus eorum circumscribitur. Frequentissima haec: Hannibale *vivo* (bei Lebzeiten H.); *invito* patre (gegen den Willen d. V.); tam propinquis hostibus (bei so großer Nähe d. F.). Latius tamen patet hic usus:

Nec vero illud non *eruditorum* temporum argumentum est, quod.. Cic. Tusc. IV, 2, 4. (doch ist auch dies ein Beweis für die Bildung der Zeit).

Altera sententia est, quae definit amicitiam *paribus* officiis et voluntatibus Cic. Lael. 16, 58 (die Freundschaft in die Gleichheit der Dienste und Neigungen setzen). Cf. Tac. Germ. 25. Apud ceteros *impares* libertini libertatis argumentum sunt (die Ungleichheit der Freigelassenen ist ein Beweis der Fr.)

Nec non huc referendum est propter adjectivam vim Pronominis: Praeclara est aequabilitas in omni vita, et *idem semper* vultus *eademque* frons Cic. Off. 1, 26, 2 coll. Tusc. 3, 15, 31. hic est enim ille vultus *semper idem* (die Unveränderlichkeit der Miene und des Ausdruckes).

Huc etiam referenda talia: *Propria* ejus natura die Eigenthümlichkeit seines Wesens, proelium *Cannense*, die Schl. bei Cannä; crimen *Parium*, die Anschuldigung wegen Paros; iter *campestre*, der Marsch durch die Ebene; iter *insidiosum*, ein Weg voll Gefahren eines Hinterhalts.

---

ut pueri doceantur, quae in singulis Genitivi constructionibus vis et significatio (nimirum: Subjecti, Objecti, Definitionis, cet.) insit.

2) Haud raro etiam Latini **Pronomine** adhibito demonstrant tantummodo rem vel notionam, quam nos substantiva voce enuntiamus, praesertim cum illa res vel notio in iis latet, quae proxime dicta sunt.

Revolveris *eodem*, Cic. Tusc. 1, 6, 12. Du kommst auf denselben Punkt zurück.

Quae quum constent, ib. 17, 40. Wenn diese Behauptungen feststehen.

Haec reputent isti, qui negent, ib. 22, 51. Diese Bedenken mögen die erwägen, welche behaupten . . . —

Hoc igitur tibi propone, Ib. II, 26, 64. Behalte also den Gedanken immer vor Augen.

Huc referenda etiam illa: Vetus *illud* = jener alte Spruch; *illud* Catonis = der Ausspruch des Cato. Confer praeterea, quae mox sequuntur exempla, in quibus similia haud pauca invenies.

3) Multo vero usitatissimum est, ut Substantivorum penuriam Latini circumscriptis verborum explicationibus compensent.

Firmissimum hoc afferri videtur, *cur deos esse* credamus, der stärkste Beweis, der für das Dasein der Götter aufgestellt wird, scheint der zu sein. Cic. Tusc. I, 13, 30. Neque aliud est *quidquam, cur incredibilis* iis animorum aeternitas *videatur*, nisi quod ... sie haben keinen andern Grund (Beweis) für die Unglaublichkeit (oder für die Annahme, daß) u. s. w. 38, 22, 50. Cf. ib. 10, 1, 2. Mihi *multa* sane occurrunt, *cur* ea ... videantur, Es fallen mir viele Gründe ein, weßhalb u. s. w. Ib. I, 25, 62. Quod summae sapientiae Pythagorae visum est, was dem P. als ein Beweis der höchsten Weisheit erschien.

Ponere jubebam, *de quo quis audire vellet* ich hieß Jemanden ein Thema aufstellen. Ib. I, 4, 7. Cf. pr. Arch. 6, 12, suppetere nobis, *quod quotidie dicamus* Stoff zu täglichen Vorträgen bieten. Tusc. 2, 5, 13. Dic, si vis, *de quo disputari velis*. Ib. IV, 4, 8: Dicat, si quis vult, qua de re disputari velit. Ib. V, 4, 11: Quinto autem die sic *est propositum, de quo disputaremus* (dies Thema der Disputation aufgestellt). —

Ita fit, ut animus de se ipse tum judicet, cum *id ipsum, quo judicatur* (das Urtheilsvermögen selbst) aegrotet; Cic. Tusc. 3, 1, 1.

Quae porro tam immensa magnitudo (tabulae cujusdam), quae *illa tam multa effingere* possit? um jene Menge von Bildern aufzunehmen. Ib. 1, 25, 61.

Dixit aliquid, *quod ipsum quale esset*, erat multo ante explanatum a Platone (dessen Beschaffenheit). Ib. 1, 10. 20. 3, 2, 4.

Huc referenda sunt etiam illa: in diesem Fall quod si ita est (esset), quae si ita sunt; während dieser Vorgänge dum haec geruntur; den Zweck verfolgen id agere, sequi, spectare, (Tusc. 4, 2, 3.).

II. De Adjectivis.

Latini non solum multis Substantivis carent, quae apud nos in usu sunt, sed haud raro etiam Adjectivis, praesertim iis, quae nos compositione varia fingimus, velut talentvoll, kraftvoll, regellos, regelmäßig, similia; immo ne ea quidem semper in usu fuerunt, quae a Substantivis usitatissimis facile poterant derivari, velut geistig, körperlich, persönlich, wissenschaftlich, similia; alia praeterea, quae nos ex Adverbiis fingimus, velut damalig, jetzig. Quare saepe etiam Adjectivorum loco alia vocum genera ponenda sunt.

1) Haud raro utuntur Latini *Substantivis*, ubi Adjectiva desunt, iisque duplici potissimum ratione, vel ut Adjectivorum loco ponant Genitivum aut Ablativum qualitatis, quem appellant Grammatici nostri, vel ita ut figura Hendiadyoin existat.

a) Notissima illa: virtutes animi geistige Vorzüge, bona corporis leibliche Güter, induciae biennii datae ein zweijähriger Waffenstillstand. Eadem ratione haec dicuntur: literarum studia wissenschaftliche Beschäftigungen, mentis contemplatio geistige Betrachtung, mentis acies das geistige Auge; hominis mens (der menschliche Geist) discendo alitur.

Confer etiam illa:

Transtra ... confixa clavis ferreis digiti pollicis *crassitudine* (daumstarke Nägel) Caes. b. G. 3, 13 coll. VII., 73 teretes stipites, *feminis crassitudine*, ab summo praeacuti et praeusti; ubi nos quoque Adjectivo carentes dicimus: von der Dicke eines Schenkels.

Si qui *magnis ingeniis* exstiterunt (talentvolle Männer) Cic. Tusc. 1, 2, 3. coll. 36. 5, 21, 61. Tum ad mensam *eximia forma* pueros delectos jussit consistere.

Quod exemplorum genus propterea posui, ut intelligatur Latinum sermonem ab hoc casuum usu omnino non abhorrere, id quod ex proxime allatis etiam magis elucet.

Hoc tamen non praetermittendum hunc Genitivum vel Ablativum non solum Substantivis attribui, sed etiam Verbis ita apponi, ut Praedicati locum obtineat; ita, ut exemplis utar:

Quod *egregia virtute* erant cogniti (weil sie sich als sehr tapfere Leute erprobt hatten) Caes. b. G. 1, 28. Quae res et vires alit et *immani corporum magnitudine* homines efficit (macht die Menschen ungeheuer groß) Ib. 4, 1. Cf. mox sub b) tanta levitate et jactatione (so prahlerisch und eitel).

b) Figurae rhetoricae, quae Hendiadyoin appellatur, usum in hac Adjectivorum penuria jam saepe editores doctissimi exemplorum multitudine illustrarunt; quare hic pauca elegisse sufficiet in re saepius tractata:

Varietas et natura sonorum die natürliche Mannigfaltigkeit der Töne Cic. Tusc. 1, 25, 62.

Videre licet alios tanta *levitate et jactatione* (in so prahlerischer Eitelkeit). Ib. 2, 4, 12.

Haec ita sentimus natura duce, *nulla ratione*, *nullaque doctrina*, ohne theoretische Belehrung, Ib. 1, 13, 30. cf. III., 1, 2, haud erat sane, quod quisquam rationem ac doctrinam requireret. — Ita porro: omnium artium ratio et disciplina (die wissenschaftliche Behandlung) Ib. 1, 1, 7; ratione et ordine in wissenschaftlicher Ordnung; via et ratione disputare in methodischer Weise.

2) Aliquando etiam *Pronomina* locum Adjectivorum nostrorum obtinent:

Suo loco, tempore, an geeignetem Orte, zu g. Zeit, *haec* aetas, *hi* homines die jetzige Zeit.

His conditionibus unter folgenden Bedingungen.

Illa Medea die bekannte Medea.

Ipso nomine terrere durch den bloßen Namen.

3) *Adverbia* vel adverbiales elocutiones ita collocantur ut Adjectivorum vim et locum obtineant; prius illud apud Livium frequentissimum, rarius apud Ciceronem et Caesarem:

Omnes *circa* populi alle umliegenden Völker Liv. 24, 3.

Fortuna *tum* urbis affirmante crimen das damalige Geschick der Stadt Liv. 2, 12.

Populationum *invicem* ultor ein Rächer der gegenseitigen Verheerungen. ib.

Maximo privatim periculo, nullo publice emolumento mit größter persönlicher Gefahr. Id. 6, 39.

Legatum et *publice* testem einen öffentlichen, amtlichen Zeugen Cic. in Verr. II. Act. II., 2, 64 §. 156.

Illud alterum apud Ciceronem saepius invenitur, maxime in philosophicis libris:

Asperum est, *contra naturam* (widernatürlich), difficile perpessu, triste, durum; Cic. Tusc. 2, 12, 29; et mox 13, 30: Dolorem quum dicis asperum, *contra naturam*, vix quod ferri, tolerarique possit. Adde similia ib. 2, 7, 17; et ib. §. 18 extr.: tristis quidem res est, aspera, amara, *inimica naturae*.

4) Nec non *ampliore circumlocutione* aliquando utendum est, ubi nos Adjectiva habemus, velut paullo supra: *vix quod ferri tolerarique possit* kaum leiblich und erträglich.

Fieri non potest es ist unmöglich.

Quod cerni possit (oculis) sichtbar Cic. Un. 6.

A nonnullis etiam, *quae non possunt*, tentantur, das Unmögliche versuchen.

Porro: quae diximus, quae appellantur, die genannten, sogenannten.

Si tibi *constare* vis wenn du consequent sein willst Cic. Tusc. 1, 5, 9.

III. De Adverbiis

hoc loco statim agemus propter eorum cum Adjectivis cognationem.

1) *Substantivis* Latini utuntur, ubi nos Adverbia demonstrativa vel relativa ponimus, velut: hierbei, hierzu, worin, wofür al. sim.; Latini contra: hac in *re*, hanc ad *rem*, qua in *re*, quam ob *rem*, quae longe frequentissima sunt apud omnes scriptores. Etiam alia Substantiva hac ratione ponuntur, uti *hoc loco* hier, aliis locis anderwärts, quibus locis wo, omnibus locis, quibus an allen Orten, wo; qua ratione wie.

2) Multo frequentius autem illud, quod in omnibus fere libris grammaticis tironibus praecipitur, ut *Adjectiva* ponant, ubi nos Adverbiis utimur. Ac primum quidem

a) hoc semper fit, ubi Praedicata, quae Grammatici appellant, Subjectis vel Objectis adjiciuntur. In his nos quidem: der Baum ist grün, die Bäume sind grün, die Leidenschaft macht uns blind; Latini contra: arbor est vir*idis*, arbores sunt vir*ides*, cupiditas nos coec*os* reddit.

b) Usitatissimum etiam illud, ut in iis, quae nos fieri cum animi affectione aliqua, vel cum comparatione aliorum dicimus, Latini animi affectum vel comparationem non ad agendi rationem, sed ad homines ipsos referant. Ita nos: Er trank (sie tranken) freudig den Giftbecher, laetus hausit (laeti hauserunt) venenum; er kam (sie kamen) zuerst, primus venit (primi venerunt). Aliquando simile quid etiam apud nos fit in vulgari sermone, uti: einen guten Löffel voll pro illo, quod rectius est: einen Löffel gut (d. h. sehr) voll.

Ceterum non solum varietati, sed etiam perspicuitati orationis ille Latinorum Adjectivorum usus prodest; velut nos cum ambiguitate quadam dicimus: er traf mich unvermuthet; Latini accuratius: *imprudens* aut *imprudentem* me offendit.

3) Neque hoc non multiplicis usus in Latine scribendo ideoque diligenter observandum, quod saepissime *Pronomina* et *Adjectiva pronominalia* locum Adverbiorum nostratium obtinent; velut haec:

Ante *hos* sex menses, 6 Monate vorbem, oder vor 6 Monaten von jetzt an.

Vincula vero *et ea* sempiterna, und zwar Cic. Cat. 4, 4.

Adolescentes aliquot, *nec ii* tenui loco orti, und zwar von nicht geringer Herkunft. Liv. II, 3.

Asiam refertam *et eandem* delicatam das reiche und auch (oder zugleich) üppige Asien. Cic. pr. Mur. 9, 20.

Quem sperandi sibi, *eundem* bene dicendi finem proposuerunt; die Grenze ihres Strebens stellten sie zugleich auch als das der Redekunst selbst auf. Cic. Tusc. 2, 1, 3.

Non igitur facile concedo, ut, quum ea, quae supra enumeravi, in malis numerent, *iidem* dicant, semper beatum esse sapientem (daß sie doch auch sagen) Cic. Tusc. V, 10, 30; cf. mox 31: nunc et haec loqui, quae sunt magni cujusdam et alti viri, et *eadem* quae vulgus, in bonis et malis numerare, concedi nullo modo potest.

Sensus moriendi, si *aliquis* esse potest (wenn es wirklich eins giebt), is ad exiguum tempus durat; cf. ib. 1, 34, 82. Fac enim sic animum interire, ut corpus: num igitur *aliquis* dolor aut omnino post mortem sensus in corpore est? et 2, 14, 33: Dolorem opprimi dico patientia, si modo est *aliqua* patientia (wenn es wirklich eine giebt): sin *nulla* est, quid exornamus philosophiam?

Munera, quae et *meam* animi aequitatem et *vestram* voluntatem indicent (meinerseits und eurerseits) Corn. Thrasyb. 4.

Ipsos triginta dies Athenis fui (gerade 30 Tage), cf. supra II, 2 *ipso* nomine durch den bloßen Namen.

Solos tres menses Asiae praefuit (nur 3 Monate).

Unam excipiunt iracundiam (nur den Jähzorn nehmen sie aus).

Mea *unius* opera allein durch meine Hülfe.

Cuncti ad eum venerunt, sie kamen insgesammt.

Huc etiam referendum Pronomen interrogativum *quid* ad continuationem enumerandi significandam, ubi nos ferner dicimus: Tusc. 1, 24, 56. *Quid?* illa tandem num leviora censes? et 25, 61. Quid? illa vis, quae tandem est, quae investigat occulta?

4) Aliquando etiam Adverbia nostra *ampliore circumlocutione* exprimuntur, uti: Ich zweifle nicht daran. Non dubito, *quin hoc ita sit:* Hierauf *hoc facto;* worauf *quo facto.* Er las den Brief und verbrannte ihn darauf legit epistolam *lectam*que combussit. Wahrscheinlich habe ich recht gesehen *nescio an* recte viderim. Sonst wird sie dich verlassen *nisi ita facies,* te deseret (cf. Cic. Tusc. 2, 14, 33). Sonst würde er umkommen *ni ita esset,* periret.

Sed haec sufficient, quanquam facillima tantum et evidentissima elegi exempla ex iis, quae nuper legi, quorum copia facili negotio augeri potest ex Naegelsbachii libro, quem supra laudavi, praestantissimo. At non erat in animo, hoc loco rem ab illo diligentissime et copiosissime tractatam, accuratius retractare, sed tantum eligere aliqua ex mea copia, quibus demonstrarem et quam frequens hujus rei ratio sit habenda praeceptori, et quam facilis ad usum haud exigua pars ejus doctrinae, quae illo libro in praeceptorum potius quam in discipulorum usum sit proposita et illustrata.